

nisi articulum adiungas, non potest significare *mortem*, sed *mori*. Adde hoc quoque, non posse dici, θανεῖν ἔλαβε χουσον etc., nec si etiam diceres τὸ θανεῖν. Quod tamen semidoctis contra, fat scio, videbitur.

*Ode XXIII*. Neque Anacreontis est hoc odarium, rationes adderem, nisi res ipsa vociferaretur. Omnia sunt dissoluta, omnia numeris carent, nonnulli versus sunt politici. ita dicuntur versus, in quibus numerus syllabarum obseruatur, non autem modus, et ratio, quantitatis. Exempli loco erit hic, Μέθετέ με, Φροντίδες.

*Ode XXVII*. Hoc odarium, quod et de duobus superioribus dictum velim, Anacreontis non est. Quippe ἐκ κεφαλῆς εἰς πόδας totum est Doricum. alia etiam ratio facit, vt illi abiudicem. Deinde politici in eo versus sunt quidam. En tibi exemplum, Εἰσέλθῃ μεθυδέτας· cui respondet, Διδάσκει με χορεύειν. At qui sciunt, quae carminum ratio apud Graecos sit, nunquam fatebuntur, hos duos versus esse eiusdem monetae, seu κόμματος· cum penultima in μεθυδέτας sit breuis, in χορεύειν longa. Sed me harum rerum piget, pudetque. Quid illud, multo etiam nequius? καὶ πάλιν δέλω χορεύειν. Miror itaque, miror; nam alia mitto; fuisse olim, qui crediderint, esse istas nugas, sed quas? plane insulsissimas, a tanto scriptore, qualem Anacreontem fuisse accepimus,

*Ode XXVIII, v. 3.* Ροδῆς] Suspiciatus quondam est Henr. Stephanus, qui primus e libro manuscripto haec odaria in lucem edidit, legendum Ροδῆς· cui suspitioni secunda, et fauens, Critica adfuit. Rhodii enim, cum reliquis artibus insignes fuerunt, tum pictura, et sculptura, maxime. Res nota ex Plinio, Pausania, et Pindaro od. 7. Olympionicarum.

*Ibid.* κοίρανε] Pro κοίρανε, inquit Henr. Stephanus, quidam putant legendum τύρανε. Illud [scilicet κοίρανε], non video, quomodo lex versus possit ferre; sed ne hoc quidem [τύρανε nempe] satis aptum huic loco videtur. Haec Stephanus. Ad ea vno verbo dicam, non posse stare τὸ κοίρανε· neque enim id metri ratio patietur vnquam. Legendum itaque  
τύρανε.